[22]

# STILVS AMOSI

EX

# ILLIVS VITA

QVI

CONSENTI

ILLVSTRI FACVLTATE

PRAESID

VIRO PRAECELLENTISSIMO CEL

DOMI

CHRISTIANO GOD

FACVLTATIS PHILOSOPHICA

MERITISSIMO PHILOSOPH

LIBERALIVM MA

FAVTORE ATQVE PRA

OMNI HONORIS PIETA

AD VLTIMOS VITAE HALIT

AD DIEM XXIV. MA

PVBLICO IN CERTAMIN

AB AVCTORE RES

FRIDERICO BERNH

AVRICA - FRISIO - C

S. S. TH. C

---

HALAE SA

TYPIS IOANNIS FRIDE

ACAD. T

22

# OSI PROPHETAE

EX

# TA ERVTVS

QVI

NTIENTE

TATE PHILOSOPHICA

AESIDE

IO CELEBERRIMO DOCTISSIMO

M I N O

## ODOFREDO HASE

PHICAE ADIVNCTO LONGE

LOSOPHIAE ET ARTIVM

VM MAGISTRO

PRAECEPTORE SVO

IETATISQVE CVLTV

E HALITVS PROSEQVENDO

V. MARTII MDCCLV.

AMINE DEFENDETVR

E RESPONDENTE

RNHARDO BETKE

ISIO - ORIENTALI

TH. CVLT.

---


SALICAE

FRIDERICI GRVNERTI

AD. TYP.

1585
37
55
re

§. I.

Contemplantibus nobis ſalutarem litterarum ſacrarum doctrinam, obtulit inter plures, quibus Sanctiſſimus Spiritus caeleſtem ſuggeſſit veritatem, ſe etiam AMOSVS ille Iſraelitarum propheta inſignis, gregumque vigilans antehac paſtor. Dum enim præſenti tempore occupabamur euoluendo prophetarum volumine, audiendisque verbis ipſorum adhuc viuis, duximus operae pretium, cum in Amoſum praecipue coniiceremus oculum, qui nobis duplici praeſertim ratione viſus fuit notabilis, *tum* ob vitam ipſius antea transactam, *tum* ob ſermones eiusdem poſtea formatos, *et* animum magnum ac imperterritum, *et* curam teneram adfectumque egregium ſpirantes atque ſtillantes. Veſtigia hæc perſecuti, pro anguſtia qua includimur, duo percurremus momenta, ut I. videamus qualis Amoſus fuerit ante diuinam, quam ſortitus erat legationem; II. qualem ſe poſt eamdem ſuſceptam et ſtrenue perfectam maxime in ſermocinationibus ſuis præſtiterit.

§. II.

Vitam Amoſi luſtrabimus, quantum ad intelligendam animi eius diſpoſitionem, cordis adfectionem, ſenſuum habitum, ſolitamque ingenii productionem ſufficere videbitur. Neque enim hic omni luce ſumus, ut alibi, deſtituti, cum

ipſe voluminis ſui ſcriptor de quo non dubitamus ex c. 7, 1. 8, 1. 9, 1. notauerit, quae facem nobis praebent. Proinde *primo loco* adimus ipſius patriam, et paullo poſt operas ſubiungemus eiusdem peculiares. Audimus verba Amoſi מִתְּקוֹעַ ex Thekoa prodeuntis c. 1, 1. ſine patre, ſine auo. Verum tamen honeſti parentes haudquaquam Dei, cuncta verbo ſuo portantis Ebr. 1, 3. obliti, hunc filium tenellum עָמוֹס appellare geſtiuerunt i. e. ab ipſomet Deo ab incunabulis geſtatum, quid? quod ab vtero materno: qua in re ipſam Dei promisſionem huiusque nominis authenticam habemus explicationem Ieſ. 46, 3. Remeantes ad patriam procul dubio *Thekoa*, iſtam ſibi vindicat princeps tribus *Iudaica*, cui non ſolum *Ioſephus* ac *Hieronymus* teſtantur, verum etiam interpreres *græci* Ioſ. 15, 60. adſcribunt liberaliter hunc locum, qui adhuc veriſſimo ſcripturæ ſacræ teſtimonio, *et* ſub ditione *Rehabeami* Iudaeorum regis cum vicinis *Bethlehem* ac *Etam*, Iudaeae vrbibus fuit communitus 2 Chr. 11, 5. 6. *et* ſub occaſum regni *iudaici*, ob editiorem ſitum, euocatus eſt, ut buccina vicinos quosque hoſtium de metu moneret, *buccinatoris* nomen non absque omine habiturus Ier. 6, 1. Quidquid igitur de oleoſo Thekoae oppido offerant *Talmudici*; quidquid de tribu *Aſſeritica* in oleum intingente pedes Deut. 33, 24 huiusque hereditaria parte Thekoa fingat ſibi argutus *Kimchi*; quidquid de *Thekoenſibus* oleo adſuetis, indeque ſapientiae conatum ſurripientibus atque laudes, oraculo *rabbinico* credat credulus ipſe Chriſtianus; quidquid tandem de *Thecoitide* illa 2 Sam 14, 2. ſapientiam præ ſe ferente, ipſique *Dauidi* mellea verba dextre inſtillante perſuadeatur, quaſi et ipſa *auia* Amoſi huius florens iam luxiſſet: omnia tamen extra oleas vagantur. Numquam enim naturalis hæc ſagacitas Amoſo diuina reuelaſſet aut perſuaſiſſet 1 Cor. 2, 4. 13. numquam a gregibus, quibus preſſe adhæſit, vt verba volunt: מֵאַחֲרֵי הַצֹּאן c. 7, 15. auulſiſſet eumdem, niſi manus rapuiſſet ſuperior, ſpiritusque agitaſſet illum excelſior. Ipſe ſibi nil tribuens, ſolique Deo gloriam

riam daturus omnem, se ignobilem ante fuisse fatetur promtissime c. 7, 14. לֹא נָבִיא nequaquam hominem ad diuina declaranda inductum, qualem potius dignitatem, ab Israelitis ceterum parum aestimatam c. 2, 11. sibi in mentem venire non passus fuerat; neque etiam filium prophetae siue a patre talem, siue in schola eiusmodi viri patris auctoritate pollentis institutum; adeoque ipsum diu in obscuro ante angulo haesisse, quam in publicam protractus sit lucem. Quamuis vero minime gentium conficiatur hinc *Rabbinorum* canon: omitti patres prophetarum, dum prophetae ipsi non exstiterint, tamen, id certo colligitur modo: non splendore celebritatis gauisam esse familiam Amosi, cum nullam parentum mentionem iniecerit; licet credere fas sit, commemorari etiam tum, cum ab aliis nominis eiusdem filii sunt distinguendi. Vnde eo magis mentionis huius omissio erit commoda, si *et* loco *et* nomine raro iam notari facile poterunt, uti constat in nostro. Interea ex ipsa nobili Iudae familia descendit Amos 1 Chr. 2. 4. 5. 24. dum posthumus quidam *Chetzronis* filius pater incolarum Thekoæ euasit.

## §. III.

Quamuis itaque ex nobili stirpe Iudae, quam Leo ille ex tribu hac nobilitauit, ortus esset, in quam terram patriam Iudaeae ipsum etiam *Amatzias* impius sacrificiorum impurorum antistes erat relegaturus c. 7, 12. sicut olim simili ratione Balak in locum suum iratus ablegabat Bileamum Num. 24, 11. tamen ipse minime illustris, obscure natus, obscure educatus, obscure versatus fuit. Et licet *chaldaeus* interpres *Ionathan* eum praedicet non pro mercede agentem greges, sed dominum pecorum diuitem, non minus quam *Moabitarum* regem 2 Reg. 3, 4. vtpote qui in campestri regione praeterea sycaminos ad vitae suae commoda habuerit abunde c. 7. 14. licet *Kimchi* ipsum non simpliciter *nokêd*, sed pro magno inter *nokedîm* viro suspiciat; et licet, quod auget rem, *Talmudici*

doctores donum prophetiae tantum habitare velint ac iubeant super sapiente, forti et diuite, neque minus super procero: tamen vltimum hoc contradicit *et* electioni Dauidis minime proceri 1 Sam. 16, 7. *et* sapientiae apud pauperem infirmumque reperiendae Koh. 9, 15. 16. *et* consilio diuino longe sapientissimo, stolida visa, infirma et ignobilia, sine personarum distinctione, eligendi 1 Cor. c. I. Quod vero interpretationem attinet verborum c. 1, 1. *qui fuit inter nokedîm* בַּנֹּקְדִים, talis constructio non per se requirit eminentiam inter illos, sed potius ex communi eorum sorte ipsum quoque fuisse declarat cll. Ier. 1, 1. et Am. 2, 16. Quod autem *Ionathan* Moabiticum respiciat principem, qui eodem describi videtur modo, statim hoc euanescet, si curatius inspexerimus. Vocabulum נֹקֵד latius patet quam ebraicum רוֹעֶה *pastor*; et quamquam credimus, alteram vocem etiam Gen. 4, 2. 47, 3. dici de iis, quibus grex fuerit proprius, tamen de ipsis dicitur, qui et suum pascunt gregem. Hoc ipsum vero de Moabitarum rege, qui tamen *nokêd* erat, non crediderimus, cum *Hiob* licet non fuerit rex, tamen ipse non pasceret greges suos c. 1 Ergo adnotemus radicem נָקַד *figendi infigendi*que notionem adhuc *Arabibus* debere, et inde *animi oculorumque adfixionis* in aliqua re *discernenda*, *seligenda*, *purganda*; quae notio mundationis hinc etiam a *Syris* est conseruata. Participialis vox *nokêd* talem ergo denotabit, qui operam dat pecori, et quidem eiusmodi, quod prae ceteris inspectione, discretione, segregatione, purificatione indiget, quod quisque gnarus *ouibus* adiudicabit; vnde et *Arabes* nomen *nakadon* generi cuidam ouium, vilium in primis quoad adspectum attribuunt, quarum pastor *nakkaadon* est. Hinc 1) *Amos* inter eorum pastorum numerum referendus erat, qui variis ouium generibus vario modo curandis agendisque studium suum impendebant, quod etiam *Aquila* dicere voluit εν ποιμνοτροφοις reddens; 2) rex *moabiticus* vero tamquam diligenter inuigilans, dispiciens-

ciensque cum industria, vt res sua optime succederet pecuaria, reputandus est. Hoc vitae genus noster coluit in deserto patrio, Thekoae vicino, quale desertum Thekoae, pars magni illius deserti *iudaici* memoratur 2 Chr. 20, 20. et 1 Maccab. 9, 33. *καὶ ἔφυγον εἰς τὴν ἔρημον Θεκωὲ.* Tale desertum מִדְבָּר nominatum continebat loca ad pascendos greges disposita, iisque alendis concludendisque idonea, qualis locus *dobber* Ies. 5, 17. Mich. 2, 12. audit.

## §. IIII.

Quibus circumstantibus positis facile erit intellectu, quam parco quamque frugali victu fuerit vsus, quamque tenui indulserit vitae. Quocirca cum ventri indulgens auramque principis captans *Amatzias* c. 7, 12. iuberet eum in patria *comedere panem* i. e. bene indulgere sibi et laute secureque viuere cll. Ps. 14, 4. respondit v. 14. tale quid ipsum nec ante nec iam curare, quaerere, appetere, dum ipse pro sua persona, quam אָנֹכִי repetitum innuit, potius in omnia propendeat alia. Iuuat hoc studium, hunc Amosi laborem inquirere. Adseuerat personam gessisse hanc: בּוֹקֵר וּבוֹלֵס שִׁקְמִים. Notum est, haec verba difficultates parere interpretibus plures. Ergo contextus nos doceat, Amosum *tria* voluisse respondere ac debuisse pariter ableganti suo: 1) qualem sit vitam professus; 2) qualem inuenerit educationem; 3) qualem habuerit victum. Hinc terna personae suae determinatione אָנֹכִי EGO vtitur. Adeoque 1) negat se antehac prophetam egisse, sed v. 15. gregem secutum esse, aquo demum non sine vi a Iehoua mittente abstractus sit; 2) pernegat se a puero esse institutum a quodam propheta atque sic ad altiora adspirasse, sed priuatæ potius destinatum vitæ eamdem in deserto cum hominibus sortis postremæ vixisse v. 15. 3) abnegasse mollem et commodam vitam, contra incommodam dispicientis scilicet victum, qualis בּוֹקֵר, ac duram vtpote בּוֹלֵס שִׁקְמִים

traxisse

traxiſſe ſerio contendit et grauiter. Ergo pateſcit, in vltima commatis 14. dictione non neceſſario mentionem paſtoritiae ipſius vitae fieri debere, quae commate 15. inculcatur ſatis. Liquet etiam nunc per interpoſitum אנכי inter בוקר et בולס haec quidem ſtudia diſtingui, vt non idem ſit *quaerere*, neque tamen ita, vt plane diuerſum aliquod adſtruatur, quod tum pronomen ponendum fuiſſet bis. Penitius autem indagabimus haec. *Prima* vox בוקר non *paſtor* nec boum, nec caprarum, nec ouium denique erit. 1) Aliis a בָּקָר quod bucerum notat pecus, eſt *armentarius* vulg. ſiue *bubulcus* Cocc. at contradicit c. 1, 1. 7, 15. 2) Aliis paſtor caprarum, vt *Arabs* habet ex verſ. *graeca* αἰπόλος, quod vnde ſit tam adſtrictum non adeſt ratio in promtu, dum הַצֹּאן v. 15. paruum pecus lana munitum contra frigus, foecundum valde ac tenaciter cuſtodiendum in vniuerſum omne exprimit. 3) Aliis cum *Syro* paſtor ſc. *ouium* eſt ſ. opilio, quia verbum Ez. 34, 11. 12. de inſpectione reperitur ouium, et ſic 1 Petr. 2, 20. ἐπίσκοπος idem eſt, quod ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων. Haec ipſa ſententia ceteris omnino praeferenda duplici per ſe laborat incommodo, a) quod verbum, vt et deriuatum nomen בַּקָּרָה vbi de inſpectione ouium occurrit, tantum in *Piel* vſurpetur, vbi generalis igitur peruestigationis notio in ſpecie adſtringitur curae ouium peculiari, proprie etiam inſpectionem earum diſſipatarum ex l. c. denotare videatur; b) quod maximum eſt, quia hoc verbum non nude poſitum de paſcendis agendisque ouibus vmquam legitur, aut adhiberi poſſe videtur, ſicut nec ἐπισκοπος per ſe paſtorem ſignificat, vnde Ezechielis loco diſſipati gregis, et Petri loco fidi paſtoris mentio ſimul eſt adiecta. Verum enim vero, ſi verbum בָּקַר legitime ponderatur, patet ex lingua *arabica* generalem *findendi aperiendi*que ſuſtinere notionem. Hinc fit, vt verbum in Piel coni. *augmentatiua*, non quaerere qualecumque illud ſit, ſed ***oculorum aperturam ad rem diligentius ſcrutandam, diſpiciendumque cuiusnam indolis, neceſſitatis atque*** *vſus*

*vsus sit* cll. Ps. 27, 4. Prou. 20, 25. 2 Reg. 16, 15. Nomina autem ex simplicissima leuis coni. primae forma בָּקָר et בֹּקֶר non quaerendi ideam exhibent, quia *bos* et *vacca* non commode vocantur aut quia inquisitore indigent sec. *Buxt.* aut se inuicem mugitu quaerunt sec. *Mai.* et porro *matutinum tempus* aeque incommode dicitur, quia tunc et res et homines rectius inueniri queunt quam vesperi sec. *Gusset:* sed *findendi aperiendi dilatandi* ideam offerunt, dum *Boker* lux matutina, fissa caligine, late diffunditur et aurora oculos quasi aperire hominesque denuo visere dicitur, vt Iob. 3, 9. Ies. 58, 8. et ex dictionibus linguae *arabicae* hac de re extra dubium venit; *bakâr* vero s. bos ab oculis dilatatis rigidoque visu et quasi obstupescente intuitu (collata lingua *arabica*) optime dignoscitur; siquidem conceptus agri aratro *proscindendi* a doctis huc vocatus non modo longius sit petitus, verum etiam non bobus competat solis. Certum est itaque, vt participium בּוֹקֵר nostro in l. oculos apertos rigide tenentem, summaque diligentia et vigilantia *dispicientem* ad procurandas caute res suas, victumque sollerter parandum, indicet. Congruit apte sequens vox aeque rara בּוֹלֵס ex circumstantiis tamen expedienda. *Aquila*, qui ἐρευνῶν *scrutans* vertit, nimis in genere considerat vocem. Versio LXX vero rem acu tetigisse heic videtur, dum *κνίζων συκάμινα* reddidit, i. e. pungens ac *vellicans* sycamina vt maturescant, atque in vsum converti queant. Radix enim בָּלַס pro cognatione sua in litteris *orientalibus* adhuc latet adseruata. *Rabbinica* lingua vtitur eadem voce in *subactione massae farinaceae*. *Chaldaica* habet בְּלַשׁ *peruestigauit* et quidem contrectando, vellicando, vti sic *Onkelos* adhibet Gen. 31, 35. *Syriaca* tenet *et* בְּלַץ e terra *erupit cum vi* ac progerminauit, *et* פְּלַשׁ *fodit*, effodit. *Arabica* gerit *et* בלץ s. בלס *parum lactis* habuit pecus, nimia vsurpatione et tractatione *siccatum* fuit, *et* בלש moestus, *attonitus* s. quasi percussus valde tactusque. Haec sufficiant ad concludendum,

 velli-

*vellicationis* notionem subiiciendam esse radici huic in latitudine sumtae; et inde putamus factum esse, vt *arab.* et *aethiop.* *balas ficum* denotet et *sycaminum*, propter vellicationem harum arborum fructuum et subactionem. Quod igitur nomen שִׁקְמִים apte satis cum verbo isto componendum attinet, breviter modo iniungimus, designare hic *sycamina*, sicut alias aliquoties *sycaminos* arbores denotat, in campestri Iudaeae regione abunde crescentes vilisque pretii cll. 1 Chr. 27, 28. 1 Reg. 10, 27. Ies. 9, 10. Fructus autem, quia refertur ἀτροφος et κακοςόμαχος non perperam a significatu verbi *arabici* שׁקם *male habuit*, *aegrotauit* dictus est.

## §. V.

Hic sistimus effigiem Amosi. A puero rebus adsuetus paruis non tulit alta, at communia, et vulgaria versauit quotidie, ac sensuum ductu eam cogitandi adeptus est rationem, quae absque artificio primo intuitu rem naturali suo contemplatur situ. A prophetis non institutus sed vitae obscurae traditus necessitatibusque comparandis inseruiens abfuit longe a sapientia humanis exornanda artibus, a sublimi conceptuum profundorum arteque formandorum iudiciorum via, a vita cum iniuria aliorum et oppressione elata abhorrens. Non in metropoli sed viculo ignobili desertisque arenosis ac locis campestribus degens, flocci pensa luxurie, pompa nauci habita, vestimentorumque et palatiorum gloria insuper spectata, in considerandis montibus, saxis, campis, agris, fontibus, aquis, pratis, vineis, hortis, auibus, piscibus ceterisque animantibus totus erat repertus. Non in conuersatione streperae multitudinis vrbanae, sed in gregibus ducendis, alendis, propugnandis, tutandis versatus die nocteque, sic rugitum leonum, ferarum insidias, pecorum emolumenta, necessitates, defectus, eleuationem, atque nutrimenta, aëris vicissitudines, caeli tempestates, sidera, stellas, tuguria pastorum, caulas ouium continuo agitauit lustrauitque. Non

fauori

fauori principum, nec carnis dulcibus beneficiis inhians, ſed gregi vnice indulgens, omnesque aerumnas ferre ſuetus, interritus adeo humanae vocis comminationibus et conuitiis inſanis, in id ſolum incubuit, vt officio ſuo egregie defunctus, neminem et nihil niſi leonis rugitum immanem, fractarum debilitatem ouium, diſſipatarumque errorem metueret, ſibi curae cordique nimirum depoſitarum. Haec Amoſi imago genium, propenſionem, animum, deſideria, mores, ſermonem repraeſentat, ita vt quisque animum ad vaticinia eius deſcripta adpellens deprehenſurus facile ſit, tincta largiter his coloribus eſſe. Et quamquam in aliis prophetis ſimilia forte occurrerint, nil veritati huic detractum erit, dummodo cogitetur, *et* alios ſanctos Dei viros ſimilis fuiſſe complexionis et experientiae, verbi gratia *Dauidem*, quem noſter bis quoque excitauit c. 6, 5. 9, 11. *et* vnum omnium ſpiritum dominumque eſſe, atque *ab vno paſtore* verba prophetarum prouenire omnia Kohel. 12, 11. *et* praeterea quemlibet alterius vſu edoctum atque rerum externarum gnarum hominem plura admiſcere ſuosque in vſus conuertere poſſe, quae tamen aliis longe vſitatiora ac quaſi domeſtica ſunt primoque debentur loco.

## §. VI.

Quapropter operam non perderemus et oleum, ſi ex hoc poſitu intuituque totum prophetiae huius volumen nunc et tempore poſſemus, et officio deberemus omni ſua luce perfundere. Non inutile tamen erit putandum, ſi oculo fugiente potiora ſpectauerimus, ex quibus proprium ac peculiare, quod eſt in ſtilo et ſermone Amoſi, elucefcet et crepera ſaltem lux adfundetur. Auſpicatur hiſce: Iehoua ex Zion monte ſuo rugiet et inſtar leonis ex Hieroſolymis edet vocem, quo ſigno lugubri, velut triſtia adparebunt paſtorum prata, quid? quod aridum montis alias fertiliſſimi caput. Tantam ariditatis vim exſiccantem, tantum vocis maieſtaticae tenorem, minime omnium ſuſtinere poterunt quique huius montis vicini

c. I. v. 2.

v. 3 - c. II. 3.

populi tam steriles, ab igne hinc deuorandi, tam immisericor-
des, a leone iure discerpendi, tam auari in cupiditatibus suis
perniciosis, vt non bis vel ter, sed super mensuram et modum
v. 4. infixi iis in debitum mittendi sint exitium. At dummodo *Iu-*
v. 7. v. 6. *daei* vana rerum specie ouium instar in errationem coniecti,
v. 8. et *Israelitae* auram ferarum instar arenoso in deserto captantes
non grauiorem meriti essent culpam, pro calceorum pari
mansuetum in deuia trudentes, caput miserorum venumdan-
tes, iuxta puellas et altaria plus quam gentiliter bacchantes,
v. 9. detractis pauperi et detentis integumentis; gens ingrata a vi-
v. 10. ris cedrorum ac quercuum instar altis subtracta, per desertum
v. 11. v. 12. 40 annos traducta, nunc prophetarum nasiraeorumque at per-
v. 13. peram tractatorum dignitate conspicua reddita: quibus onusti
v. 14-16. criminibus, inquit tandem, dum estis, arcte pressurus sum
ego vos locis vestris conquassandos sub me, vt plaustrum ma-
nipulis refertum terram misere premit, vt nullus fugae, ve-
locitatis, fortitudinis, et salutis locus sit reliquendus.

## §. VII.

c. III. Vigilans igitur pastor iterum iterumque excitare gre-
gem solitus, audite, inquit, principio sermonum c. 3, 1. 13.
4, 1. 5, 1. narratque omni populo quasi pastoralia aenigmata,
ostensurus, mala ex agro in vrbem peruentura a Iehoua im-
mitti v. 6. Num ibunt duo sc. viatores aut pastores, nisi con-
v. 3. cll. v. 7. veniant ad vnum quod est determinatum iam, v. g. vt obuiam
v. 4. cll. v. 8. veniant imminenti malo? Num enim si leo rugit, classicum da-
v. 5. cll. v 8. turus securum esse potest animal et procul fulmine? Etsi vi-
gilantia pastorum leoni eripitur præda, num tarda segnisque
auis clam tensos vbique vitare facile potest laqueos, si huma-
v. 6. na voce terreri non vult? Hoste igitur vt leone improuiso ir-
ruente & ante portas conspecto, nonne buccina adhuc populum
in vrbe sedentem trepidum faciet, et concurrere docebit?
v. 9. Talem ergo monitorem se hic sistit, vicinos ex palatiis in montes
v. 12. *Samariae* aduocaturum, vt spectatores diuexationum essent ac
rapinarum; vnde fieret, vt sicuti vix vix eripiet pastor ex ore
leonis

leonis duo crura aut particulam auris, ita Israelitarum pau- v. 11.
cissimi misere adfecti in quodam angulo eripiendi, vis et cor- v. 14.
nua illorum pariter ac altarium deiicienda, renidentiaque va-
riarum domuum conclauia finem habitura in puluere sint. v. 15.
Proceras dein vaccas excitat vitulos in Dan et Bethel suos ad- C. IIII. v. 1.
euntes, pascuo pingui ferocientes, conculcantes et cornu pe-
tentes, ex mari expiscandas esse denunciat, terque quaterque v. 2.
reuocatas quidem contendit, sed numquam vsque ad pasto- v. 6--11.
rem prorsus reuersas, neque puritate dentium mundatas, ne-
que aquis arcendis, immo nec peste ingruente emendatas esse.
Quare cum tam multipliciter vocasset immorigeros Deus, ca-
stigationibus vix torrem relinquentibus ex igne ereptum, vult
vt tandem aliquando erectus stet omnis Israel, Deo obuiam v. 12.
iturus, illi qui format montes, ventum creat, cogitata ho-
minis indubie nota perspicit, caliginem non minus quam au-
roram perficit, et super ipsa totius terrae excelsa graditur.
Pergit lamentis deplorare ciuitatem proiectam super terram C. V. v. 1.
sine vi surgendi, sine adiutore erigente etiam. Praedicit cla- v. 2.
dem insignem, vt vrbs quae mille centumue velut gregem v. 3.
antehac emiserat, vix decimam superstitem numeratura sit v. 4.
partem. Cohortatur ad requirendum Dominum vitae Opti- v. 5.
mum, ne si diuagarentur, ipsis certo esset emigrandum; dum v. 6.
hucusque iustitiam super terra incultam derelinquentes, ma- v. 7.
las herbas ferentes, minime respexissent Dominum caeli et v. 8.
terrae, qui *Kima et Kesil* stellas agri cultoribus notas fecerit,
diem noctemque vertens, et terram aquarum diluuio contegere v. 12.
possit cll. 9, 6. Temporibus hisce pessimis, vbi iustus con- v. 13.
culcatus, pudefactus, et innumeris expositus constrictioni-
bus, expilationibus, tonsuris, eiectionibus, vt nihil supra,
haud benignum habituri essent apud se Dominum, nisi in por- v. 14.
ta sisterent iudicium tam diu e medio sublatum. In angustiis v. 15.
igitur quibus ipsi paullo post impliciti haererent, clamandum v. 16.
*Ho Ho!* quando transiturus per illos Deus vt pastor esset, se- v. 17.
gregaturus malos a bonis. Neque curiosi amplius persiste- v. 18.
rent, quod dies tenebricosus admodum atrisque tempestatibus v. 19.

v. 20. inuolutus ingrueret, ipſique in hac obſcuritate a leone in vr-
v. 21. ſum, ab hoc in ſerpentem inciderent, neque poſtremo con-
v. 22. ciliarent ſibi Deum combuſtorum pecorum tetro odore, at-
v. 23. que ſtrepitu canticorum tantum moleſto. Loco eius quod
v. 25. coacti modo in deſerto olim ſacrificaſſent, ſtellasque ſibi deos
v. 26. adiunxiſſent, iure meritoque nunc vita ipſorum pura fontis
v. 24. inſtar perenni vena fluentis decurreret liberrime. Interim
C. VI. v. 1. quia ſecuri in montibus ſuis haererent, ſorte ſua non con-
v. 2. tenti, luxuriantes in immenſum, optimos ex ſtabulis et pa-
v. 3. ſcuis agnos comederent, decantandis odis ſuis ſpecioſe ſe tra-
v. 4. dentes, pleno poculo biberent, vnguentis primariis rigati,
v. 5. inde ſuper fractura ouium cll. Ez. 34, 16. aegre non affici, te-
v. 6. ſtatur, vnde remotis ſumtuoſis conuiuiis et vocis eleuatione,
v. 7. peſte miſerrime abſumerentur, oſſibus concrematis, hymnis-
v. 9. que prohibitis, et rupturis fiſſurisque tribus omnes et parti-
v. 10. tiones domuum percuterentur, et ſi equos curſu celeri aequa-
v. 11. rent, et bobus in duris laboribus exſequendis pares eſſent, et
v. 12. inualeſcerent ſicut animalia, quae cornua acceperunt ſua, ta-
v. 13. men hebetes, obtuſi, et infracti omnibus ſuis terminis
v. 14. eſſent.

## §. VIII.

C. VII. Cum Deus viſo obiiceret ei poſtea locuſtas, recreſcens
abſumturas gramen, intercedit paſtoris agnum in humeros
ſuſcipientis inſtar tenerrimo adfectu: qui ſtabit Iacob dum pa-
v. 2. ruus adhuc eſt? æſtum deinde omnes paene aquas abſorptu-
v. 5. rum; denuo: qui ſtabit Iacob, quia paruulus ille eſt? Cum
vero denique nullam Deus admitteret interpellationem, ipſi
populo Iſraelem cum Deo luctantem non imitanti ſed turpi-
v. 8. ter et ridicule cum vitulis ſuis ludenti, non tranſiturus atque
v. 9. in pace relicturus eumdem, imperterritus quoque & loco ſuo
v. 16. immotus arroganti obſtat ſacrificulo, atque impuriſſimam eius
v. 17. et familiae et gentis ſimul conditionem obuertit prædicendo.
Nouo viſo caniſtrum ficuum aeſtiuorum exhibente, finem ve-

ro

ro et collectionem hominum nunc silentio exscindendorum, c. VIII.
nunc ob intolerabilem auiditatem absportandorum praefiguran- v. 3.
te: Deum iudicem per eminentiam i. e. fidem Iacobi iuran- v. 5.
tem adserit, numquam opera eorum obliuione tecturum, sed v. 7.
Nili undas arcessiturum, solem in meridie obtenebraturum, v. 8 v. 9.
luctum amarissimum super vnigenitum filium introducturum, v. 10.
et iurantes per falsissimum cultum verbi prophetici nutrimen- v. 11.
to priuaturum. Tandem Iudaeis, collapso ipsorum statu v. 14.
omne perfugium praescindit in *Scheol* i. e. in cauernis effossis, c. VIIII.
quales et sibi pastores fecerunt Zeph. 2, 6. in caelo i. e. in v. 2.
montibus ad caelum s. in aërem versis, immo si fieri posset v. 3.
in maris fundo, idque propter praesentissimum ubique Deum v. 4.
supremum, qui itaque oculum suum positurus super illos,
neutiquam vero ad modum prospicientis boni pastoris, tam
vehementer contingeret hanc terram, vt aquis submergeretur, v. 5.
vbi tamen ipse caelum suum scanderet altissimum, super terra v. 6.
vero fasciculum suum (אֲגֻדָּתוֹ) i. e. fidelium tamquam ouium
territarum atque in montis alicuius vertice sese colligentium
rursus arctissimeque vno in loco stantium cohortem cll. 2 Sam. 2,
25. fundaturus sit (יְסָדָהּ) i. e. coagmentaturus, septurus &
magis magisque ad firmitatem capiendam constricturus. Sic-
ut enim *Cuschaei* non pure lauandi, et *Philistaei* cum *Syris* v. 7.
mores suos priscos post emigrationem non immutantes, ita
similiter Iudaei iidem adhuc conspiciendi, hinc cribro agitandi v. 9.
essent, donec palea et gluma disiecta granum electum maneret, v. 11.
quod in restitutione casae et tugurii Dauidis admiranda se v. 13-15.
commendaret fertilitate ipsi Domino plantaturo, vt
floreat nunc fructusque in omnia secula ferat
nullo interueniente

# FINE.

# NOBILISSIMO BETKIO SVO

S. P. D.

## P R A E S E S.

*Minime patiar abire, quem gremio per triennium fouimus, TE sine animi, ob virtutes egregias in TE egregie flexi, significatione, aeque ac laetitiae, quam ex industria, qua nemini cessisti vel ad horam, cepi omni tempore maximam. Sentio adhuc intimum dolorem, qui non comprimere sed opprimere animum videbatur meum, cum ante anni spatium morbus vitae Tuae omnino imponere coronidem patriaeque matrisque viam praecludere et aditum videretur pertinacissimus. Grates persolue optimo halitus Tui ad hunc protracti diem Statori admodum debitas. Sic numquam poenitebit TE studii, sudoris et operae, quam bonis, maxime quam sanctioribus nauasti litteris, cum nostro sub caelo degeres. Consummatissimo* Theologo *nostro, cui Pater perfectorum bonorum Caelestis vitam desideratissimam augeat, roboret,*

*firmet*

firmet diu adhuc multumque! tradidiſti TE vt nihil ſupra, et fructus metendus TIBI erit perennis. Præter Philoſophum cuius orationem cum dulcedine imbibiſti Elegantiſſimum Ornatiſſimumque, ex meis leuioris momenti conatibus arripuiſti Linguae Sanctae inſtitutionem Syſtematicam, Moſis ac Prophetarum interpretationem, Librorum noui teſtamenti dilucidationem, dogmatum Chriſtianae fidei examen priuatiſſimum, denique linguae anglicae ac gallicae, exercitationes. Cumque eadem coniuncti domo fuerimus, vitae Tuae inter nos cum modeſtia ſemper et ſignis probitatis tranquille atque in exempli locum actae teſtis integer ero ac laudator perpetuus. Præſens labor in ſuſtinenda Amoſi diſputatione ex Tua propenſione ſuperiorumque conſilio ex parte in me deuolutus et TIBI fiat vtilis, et mihi gratus ſemper eſto. Nimia feſtinatione in patriam reflexus breue permeandum decreuiſti ſtadium, nec ego difficilis adparui, breuitatis in diſputando iuſtæ amans & ipſe ac numquam non ſtudioſus. Neglex imus hoc paſſu monere, ne in explanandis ſanctæ linguæ vocibus conceptus rite formare negligerent docti, atque vt cum in genuinis notionibus tum in formis determinandis inſignes duumuiros noſtros Cel. Michaelis Cel. Simonis imitarentur ſollicite:

*quia sic nomen* עָמוֹס *non* grauis, *multo minus* balbus *cum delirantibus* Iudaeis, *nec* onus, onustus, onerans *ab interpretibus v. g.* Calouio *esset redditum; dum verbum* עָמַס *non vt* Lexica *pronunciant*, onerare *aliquid aliquo, sed* imponere *onus aliquod super aliquo effert, et forma nominis relationem* passiuam *infert, vt* אָמוֹן in sinu et vlnis gestatus, *uti* Christus *Prou. 8, 30. celebratur. Dein* Ioh. Heyn *notam nobis paene extorsisset, qui nobis persuadere volebat, Amosum in* Kima *et* Kesil *esse contemplatum species* cometarum *varias ipsi forte pastori* iudaico *minus in examen adductas quam* Netzeniensi *terribiliores iis danti effectus. At quorsum? Vale TV, atque saluus sis*, Carissime Respondens. *Halae d. 18. Mart. 1755.*

---

# AVCTORI AC DEFENSORI
## DISSERTATIONIS HVIVS
### PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
S. P. D.
### IOANNES EBERHARDVS GOSSEL
OPPON.

*Cum nihil Tibi, amice optime, nihil mihi unquam magis curæ cordique fuerit, quam ut amicitia, quæ ab ineunte ætate, ac per triennium in carissima*

*hac*

*hac musarum sede, semper inter nos floruit, conseruaretur, confirmaretur: nunquam mihi sane nec Tu nec ego quidem condonare possem, si opponentis spartam quam discessurus mihi iniunxisti, obire ac cum bene multa habeam, quæ Tibi gratuler, applaudentium choro adjungere me nollem. Obseruare potius studebo, quæ partium mearum hac in re esse perspicio. Adfuturum me in certamine, quod paras, promitto ac si ornandæ gloriæ Tuae imparem me inueneris ut testis tamen comparebo ac de veritatibus, quas tractat dissertatio Tua doctissime conscripta, amici amice colloquemur. Gratulor Tibi, amice suauissime, vitam academicam optime a Te peractam, insignes, quos in scientiis ac virtute fecisti, profectus, fauorem ac amorem omnium quibus hic innotuisti Tibi conciliatum ac eximium, quo paucis post hebdomadibus frui Tibi licebit, gaudium, patriam reuisendi dulcissimam. Adsit Tibi Deus T. O. M. in itinere, adsit cunctis conatibus Tuis, ac, quae impediunt felicitatem Tuam, cedere, quae provehunt, semper sufficere jubeat benignissime! Ceterum fauore Tuo vt me etiam in posterum amplectaris, etiam atque etiam a Te peto. Dab. Halae d. XVIII. Mart.* CIↃIↃCCLV.

## *My dear Frien*

*I had from my youth the f*
*to the number of your f*
*become ſo much ſtronger by t*
*that no accident of the human*
*diſſolve it. I know your ſinc*
*i perceive the good mind tow*
*mitting any doubts made*
*I congratulate you therefore*
*ne, you ſhow therein, likew*
*ſtudies in the courſe of U*
*may conſerve you happily, a*
*native country, where you n*
*membring that i am with a*
*liged and moſt ſincere ſervan*

*At Hall in Saxony,*
*the 18 March 1755.*

*Friend!*

*uth the fortune to be annumerated of your friends. This friendſchip is nger by the academical converſation, he human life, except the death, may your ſincerity by many marks, and mind towards me by the deſire of ad-ts made againſt your diſſertation. therefore to your induſtry and doctri-in, likewiſe to the happy end of your ſe of Univerſity. God Almighty appily, and bleſ your voyage to the here you may do me the honour of re-n with all my heart, your moſt ob-re ſervant.*

,

G. I. Leiner,
Opp.
St. of Divinity.